PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

Vol 43 - 1954

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.

EDITA A PROFESSORIBUS

PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT

ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

TOM. XLIII / FASC. I

15 mart. 1954



ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1954

42338

V. 43
1954

IMPRIMI POTEST

Romae, die 2 maii 1954

P. Petrus M. Abellán, S. I.
Rector Universitatis

IMPRIMATUR

Ex Vicariatu Urbis, die 10 maii 1954

† A. Traglia
Archiep. Caesarien. Vic. Ger.

TYPIS PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE - ROMAE

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

DE POTESTATE MARITALI

Quod viro eiusque uxori aequum ius et officium coniugale competit in Canone 1111 affirmatur:

« Utrique coniugi ab ipso matrimonio initio aequum ius et officium est quod attinet ad actus proprios coniugalis vitae ».

Haec aequalitas coniugalis relate ad ius in corpus generatim agnoscitur ab omnibus populis excultis. Hoc principio fundamentali admisso, nobis incumbit breviter examinare aliud principium coniugale similiter radicatum in ipsa natura hominis quo uxor viro suo rationabiliter praecipienti ea quae ad bonum domesticum respiciunt, iure subordinatur.

Ut finis cuiuslibet societatis attingatur, sive sit naturalis sive sit artificialis, requiritur auctoritas seu potestas moralis exigendi ut, mediis aptis, membra societatis conspirent ad finem statutum assequendum. Hac potestate denegata, assecutio finis societatis difficillima vel etiam moraliter impossibilis reddetur. Instituta comparatione inter virum et feminam, manifestum est hanc viro subordinari ipsa natura mandante. Argumenta ex natura desumpta maiorem firmitatem acquirunt, additis praeceptis divinitus revelatis necnon praescriptis iuris ecclesiastici. Codex Iuris Canonici, de principio quod nunc examini subicimus expressis verbis non loquitur, sed illud potius supponitur in canonibus v. g. de domicilio, de participatione status etc. infra referendis.

Luculenter tamen Romani Pontifices de rationabili subordinatione uxoris locuti sunt. Leo enim XIII in litteris encyclicis *Auctorem Fidei*, et Pius XI in egregio documento *Casti Connubii* dictam quaestionem clare et adaequate tractaverunt.

Quibus praemissis, ordo sequens proponitur de inaequalitate status maritalis:

1) fundamentum naturale subordinationis;
2) S. Scripturae positiva doctrina;
3) oracula pontificia et ius Codicis;
4) commentarium breve in quaestionem propositam.

I. Fundamentum Naturale Subordinationis Uxoris

Ab initio tenendum est statum viri superiorem dignitati feminae naturali non derogare. Haec enim dignitas humana prorsus aequalis et inalienabilis est. Ad inaequalitatem vero quod attinet, quae ex studio naturae humanae satis apparet, analysis in parte desumpta ex opere Prof. Leclerq, Leçons de droit naturel vol. III c. 6 pp. 340 et seq. non parum luminis nobis affert.

Variis rationibus a viro differt femina, praecipue vero ob dissimilitudinem tum physicam tum psychicam. Quamvis magnum discrimen invenitur in corpore et maxime quoad partes stricte sexuales seu organa generationis, differentiae notabiles aliis in partibus corporis manifestantur. Data similitudine specifica, diversitas structuralis corporis neminem latet.

Ex biologia hodierna agnoscitur in specie humana gonorchismus sexualis, i. e. separatio sexualis, et dimorphismus sexualis, seu discrimen morphologicum inter virum et feminam. Hinc ea quae ex observatione satis constant, a biologistis affirmantur.

Si ex diversitate structurali sexuum magna discrimina inter marem et feminam manifestantur, non minus evidens est propria diversitas psychica quae peculiari structurae respondet. Ut virum femina compleat natura ordinavit. In femina propter indolem propriam vita affectiva intellectuali praevalet. Minus inclinatur ad speculandum neque aptitudinem specialem ad negotia suscipienda habet. Motibus animae facilius ducta, femina ab ipsa natura constituta est ut cor sit ipsius familiae. Vir e contra vitam affectivam minus intensam ducit. Talis dispositio affectiva in viro non praevalet sicut in uxore accidit. Desideriis sexualibus legitime expletis vir se fert ad res suas professionales, ad officium, ad laborem faciendum. In his rebus vir facile absorberi potest.

Uxor tamen indirecte cum viro suo cooperatur etiam in illis quae res exteriores magis respiciunt, illi praestando ea quae vitam delectabilem et tranquillam reddunt et ea omnia quae ad felicitatem domesticam plus conducunt. Sic magis tolerabilia fiunt onera a capite familiae ferenda. Praeterea a natura constituta est uxor ut socia et consiliaria viri in pluribus rebus.

Magis ad particularia et individua femina inclinat, parum propensa vero ad abstracta. Huius inferioritatis conscia, consilio et directione viri eget proindeque eum ut ducem et dominum agnoscit. Natura firmus et discretione ductus, princeps est vir in vita sociali, aptusque ad res arduas et complexas faciendas. Haec omnia experientia humana nos docet.

Attamen non desunt feminae inquietae quae mandato naturae parere renuant. Ipsae enim primatus naturalis viri participes fieri cupiunt ac si natura diversitatem sexuum instituendo iniuste egisset. Quandoque sibi arrogant officia et negotia ab ipso viro naturaliter exercenda. Sic natus est feminismus saltem in forma exaggerata. Nihilominus, si feminam ad primatum auctoritatis domesticae et civilis natura non vocaverit, ipsam constituit in pri-

matu amoris domestici quo filii ab aetate tenerrima recte parantur ad vitam plenius agendam et quo vir eius vitam domesticam tranquillam et recreativam invenit. Haec omnia ordinata sunt, disponente Auctore naturae.

II. Sacrae Scripturae Positiva Doctrina

Praehabito conspectu brevi de inferioritate naturali feminae relativa, videnda est iam doctrina S. Scripturae mandatum naturae roborans ac confirmans. Principium fundamentale de primatu viri clarissime ponitur tum in Vetere tum in Novo Testamento. Omnimoda claritate constitutus invenitur vir tamquam superior in societate coniugali. Dicit enim Deus in libro Genesis 3 : 16 ad Hevam : « *sub viri potestate* eris, et ipse *dominabitur tibi* ». In 1 Cor. 11 : 7-9, S. Paulus idem principium resonat, sermone quidem figurato, re tamen certa : « Vir quidem non debet velare caput suum : quoniam imago et gloria Dei est, mulier autem gloria viri est. Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro. Etenim non est creatus vir propter mulierem sed mulier propter virum. etc. ».

In Gen. 2 : 18 indicatur cur Deus formaverit feminam : « Non est bonum esse hominem solum; faciamus ei *adiutorium* simile sibi ». Apostolus non semel affirmat coniugalem societatem virum inter et mulierem distingui imagine amoris qui inter Christum et Ecclesiam intercedit. Sigillum auctoritatis mariti est amor : subiectio vero uxoris non solum bona sed laude digna est. Legitur in Eph., 5 : 22-24 : « Mulieres viris suis subditae sint, sicut Domino : quoniam vir caput est mulieris : sicut Christus caput est Ecclesiae : Ipse, salvator, corporis eius. Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus ».

Denique S. Petrus dictum principium similiter affirmat; in 1 Epist. 3 : 1 « Similiter et mulieres subditae sint

viris suis: ... »; et in vss. 5, 6: « Sic enim aliquando et sanctae mulieres, sperantes in Deo, ornabant se, subiectae propriis viris. Sicut Sara obediebat Abrahae, *dominum* eum vocans: cuius estis filiae beneficientes, et non pertimentes ullam perturbationem ».

Quod Scriptura docet de auctoritate viri in uxorem potest ita resumi: aptitudo coniugalis uxoris ad maritum eadem est ac aptitudo ancillae ad dominum in quantum uxor dirigi debet voluntate viri. Attamen uxor socia est viri atque auxiliatrix. Perfectissimum exemplar maritali societati propositum regimen amoris est prout illud resplendet in Christo erga suam Ecclesiam. Quamquam illud imperfecta imago est perfectissimi huius exemplaris, tamen purgare valet auctoritatem domesticam a qualibet specie tum despotici dominatus tum ignobilis servitutis.

III. Oracula Pontificia et Ius Codicis

Pontifices qui hac nostra aetate iterum declaraverunt ius Ecclesiae relate ad societatem coniugalem nominandi sunt praesertim Leo XIII et Pius XI. Prior celebrem illam « Arcanum » [1], alter late agnitam encyclicam « Casti Connubii » [2] de Matrimonio Christiano edidit. Hoc ultimum vere classicum documentum exhibuit claram mentem Ecclesiae circa multa problemata matrimonium concernentia, quae spinosa ultimis hisce decenniis effecta sunt.

In litteris encyclicis « Arcanum » relatis, Leo XIII principium de imperio domestico ut ab omnibus gentibus ab initio agnitum sic concinne proponit:

« Vir est familiae princeps et caput mulieris; quae tamen, quia caro est de carne illius et os de ossibus eius, subiiciatur pareatque viro, in morem non ancillae, sed

---

1 *Acta Leonis XIII*, Vol. II, pp. 10-40.

2 *AAS XXII* 539 ss.

sociae; ut scilicet obedientiae praestitae nec honestas, nec dignitas absit. In eo autem qui praeest, et in hac quae paret, cum imaginem uterque referant alter Christi, altera Ecclesiae, divina caritas esto perpetua moderatrix officii »[3].

Pius XI, in sermone de amore mutuo qui vitam coniugalem sigillare debet, sic loquitur:

« Cum hac eadem caritate reliqua coniugii tam iura quam officia componantur necesse est; ita ut non solum iustitiae lex, sed etiam caritatis norma sit illud Apostoli: « Uxori vir debitum reddat; similiter autem et uxor viro ». (I Cor., VII, 3).

Firmata denique huius caritatis vinculo domestica societate, floreat in ea necesse est ille, qui ab Augustino vocatur « ordo amoris ». Qui quidem ordo et viri primatum in uxorem et liberos, et uxoris prompta nec invitam subiectionem obtemperationemque complectitur, quam commendat Apostolus his verbis: « Mulieres viris suis subditae sint sicut Domino; quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae » (Ephes. V. 22-23).

Haec autem obtemperatio non libertatem negat neque aufert, quae ad mulierem tam pro humanae personae praestantia quam pro nobilissimis uxoris, matris, sociae muneribus pleno iure pertinet; neque obsecundare eam iubet quibuslibet viri optatis, ipsi forte rationi vel uxoris dignitati minus congruentibus; nec denique uxorem aequiparandam docet personis, quae in iure minoris dicuntur, quibus ob maturioris iudicii defectum vel rerum humanarum imperitiam liberum suorum iurium exercitium concedi non solet, sed vetat exaggeratam illam licentiam, quae familiae bonum non curat, vetat in hoc familiae corpore cor separari a capite, cum maximo totius corporis detrimento et proximo ruinae periculo. Si

[3] o. c. p. 18.

enim vir est caput, mulier est cor, et sicut ille principatum tenet regiminis, haec amoris principatum sibi ut proprium vindicare potest et debet.

Haec dein uxoris viro suo obtemperare, ad gradum et modum quod attinet, varia esse potest pro variis personarum, locorum, temporum condicionibus; immo si vir officio suo defuerit, uxoris est vices eius in dirigenda familia supplere. At ipsam familiae structuram eiusque legem praecipuam, a Deo constitutam et firmatam, evertere aut tangere numquam et nusquam licet » [4].

Quibus relatis Pontifex normam subordinationis uxoris viro suo de novo pronuntiat. Monet tamen hanc subordinationem statum servilem dignitate denudatum non parere quo uxor, mariti socia divinitus constituta iure naturae gaudet. Hinc potestas maritalis quibusdam terminis circumscripta manet. Auctoritati viri ipsa natura limites definivit ita ut uxor marito praecipienti quae irrationabilia vel indigna sunt, parere non tenetur. Neque, data inferioritate uxoris relativa, eo ipso ad statum minoris sine capacitate iuridica reducitur. Officiis enim gravibus status coniugalis libere susceptis, uxor maturitate et discretione sufficienti gaudere praesumitur. Subiectio vero debita omnem libertatem exaggeratam excludit; talis enim immunitas cor a capite familiae abiungeret. Quae immoderata libertas ad sic dictum feminismum fere reducitur.

Demum quod est maximi momenti obedientia mulieris erga virum suum adiunctis vitae hodiernae rationabiliter est aptanda. Labores enim duriores quibus feminae anteacti temporis assuetae erant, uxoribus nostrae aetatis alieni sunt. Firmo vero principio submissionis coniugalis, prudenter est eius applicatio urgenda.

Feminismus, seu emancipatio feminae, recte describi potest tamquam theoria aut praxis earum quae talem

---

[4] *AAS* 22: 549-550.

evolutionem socialem et legalem institutere conantur qua aequalitas utriusque sexus politica, economica et socialis stabiliatur. Ut manifestum est, talibus mutationibus introductis et praesidio ordinis domestici quassato, firmitas et stabilitas familiae in dissolutionem inclinabit.

In memoratis encyclicis, Pius XI deplorans tentamina facta ut uxor a iugo obedientiae honorabili liberetur quo viro suo iure alligatur sic loquitur:

« Quicumque vero nuptialis fidei et castimoniae nitorem scribendo dicendoque obscurant, iidem errorum magistri fidam honestamque mulieris viro obtemperationem facile labefactant. Audacius etiam complures ex iis indignam illam esse alterius coniugis erga alterum servitutem effutiunt; aequalia inter coniuges omnia esse iura; quae cum unius servitute violentur, quandam mulieris « emancipationem » superbissime praedicant peractam esse vel peragendam. Hanc autem triplicem, sive in domestica societate regenda, sive in re familiari administranda, sive in prolis vita arcenda vel perimenda, statuunt, et « socialem, oeconomicam, physiologicam » vocant: physiologicam quidem, quatenus mulieres ab oneribus uxoris, sive coniugalibus, sive maternis, pro sua libera voluntate solutas aut solvendas volunt (hanc autem non emancipationem, sed nequam facinus esse iam satis diximus); oeconomicam vero, qua volunt mulierem, etiam inscio et repugnante viro, libere posse sua sibi negotia habere, gerere, administrare, liberis, marito familiaque tota posthabitis; socialem denique, quatenus ab uxore curas domesticas sive liberorum sive familiae removent, ut, iis neglectis, suo ingenio indulgere valeat, et negotiis officiisque etiam publicis addicatur.

At ne haec quidem est vera mulieris emancipatio neque illa rationi congruens et dignissima libertas, quae christianae nobilisque mulieris et uxoris muneri debetur; potius est mulieris ingenii et maternae dignitatis corruptio et totius familiae perversio, qua maritus privatur

uxore, proles, matre, domus familiaque tota vigili semper custode. Quin immo in ipsius mulieris perniciem vertitur haec falsa libertas et non naturalis cum viro aequalitas; nam si mulier ab regia illa descendit sede, ad quam per Evangelium intra domesticos parietes evecta est, brevi in veterem servitutem (sin minus specie, re tamen vera) redigetur, fietque, ut apud ethnicos erat, merum viri instrumentum.

Aequalitas autem illa iurium, quae tantopere exaggeratur et praetenditur, in iis quidem agnosci debet, quae propria sunt personae ac dignitatis humanae, quaeque nuptialem pactionem consequuntur et coniugio sunt insita; in iisque profecto uterque coniux eodem omnino iure gaudet eodemque debito tenetur; in ceteris, inaequalitas quaedam et temperatio adesse debet, quam familiae bonum ac debita domesticae societatis et ordinis unitas firmitasque postulant »[5].

Quibus propositis, de exercitio potestatis maritalis aptando circumstantiis hodiernis ait Pontifex:

Sicubi tamen sociales et oeconomicae condiciones mulieris nuptae, ob mutatos conversationum humanarum modos et usus, aliquo pacto mutari debent, auctoritatis publicae est, civilia uxoris iura ad huius temporis necessitates et indigentias aptare, habita quidem ratione eonum, quae exigunt diversa sexus feminei indoles naturalis, morum honestas, commune familiae bonum, modo etiam essentialis ordo societatis domesticae incolumis maneat, qui altiore quam humana, id est, divina auctoritate atque sapientia conditus est, et nec legibus publicis nec privatis beneplacitis mutari potest[6].

Hinc regulam potestatis maritalis fundamentalem Supremus Legifer perbelle exponit. Codex vero Iuris Canonici hanc normam decies repetitam et fere universe

---

5 *AAS* 22: 567-568.

6 *Ibid.* 568.

receptam iam supponit proindeque eamdem in expressa formula non collocavit. Tamen, certi effectus iuridici ab hac lege radicali derivantes, in canonibus codicis statuuntur. Regula quaedam generalis in c. 1112 ponitur.

« Nisi iure speciali aliud cautum sit, uxor, circa canonicos effectus, particeps efficitur status mariti ».

« Canonici effectus », ait Payen, « sunt effectus quos *leges Ecclesiae* uxori tribuunt. *Status mariti* est juridica, coram Ecclesia mariti condicio: re igitur ab eius dignitate, privilegiis, juribus et officiis non differt. *Jus speciale* est ipsum ius canonicum, quatenus in uno alterove Codicis loco, et maxime ubi de matrimonio conscientiae, canoni 1112 derogat » [7]. Sequentes in Codice statuuntur.

De Domicilio: c. 93:

1. Uxor, a viro legitime non separata, necessario retinet domicilium viri sui;
2. Minor infantia egressus potest quasi-domicilium proprium obtinere; item uxor a viro legitime non separata, legitime autem separata etiam domicilium.

Cum consuetudo vitae praescripta tum iure naturae tum iure canonico, c. 1128, maxime a cohabitatione pendet, planum est uxorem de se ad idem domicilium habendum teneri. Integritas enim matrimonii potissimum hoc medio servatur [8].

De Foro: c. 1561:

1. Ratione domicilii vel quasi-domicilii quilibet conveniri potest coram Ordinario loci.
2. Ordinarius autem domicilii vel quasi-domicilii jurisdictionem in subditum, quamvsi absentem habet.

---

[7] *De Matrimonio*, 2: 2127.

[8] Cf. Genicot-Salsmans, *Inst. Theol. Moralis*, 2: 671.

De Foro: c. 1964:

> In aliis causis matrimonialibus iudex competens est iudex loci in quo matrimonium celebratum est aut in quo pars conventa vel, si una sit acatholica, pars catholica domicilium vel quasi-domicilium habet.

Ratione domicilii sui *necessari*, uxor forum viri sortitur.

De Ritu: c. 98-4:

> « Integrum est mulieri diversi ritus ad ritum viri; in matrimonio ineundo vel eo durante, transire; matrimonio autem soluto, resumendi proprii ritus libera est potestas, nisi iure particulari aliud cautum sit ».

Quandoque fieri potest ut ritus communis consuetudini vitae coniugalis magis inserviat et incommoda quaedam familiae evitentur.

De Sepultura: c. 1229-2:

> « Pro uxore attenditur sepulcrum viri, et, si plures habuerit, sepulcrum ultimi ».

De Sepultura: c. 1223:

1. « Omnibus licet, nisi expresse iure prohibeantur, eligere ecclesiam sui funeris aut coemeterium sepulturae.
2. Uxor et filii puberes in hac electione prorsus immunes sunt a maritali vel patria potestate ».

C. 1229-2 implicite agnoscit viduam manere participem status viri sui defuncti. In morte ut in vita manere coniuncti debent.

C. 1223: Uxori ius manet eligendi sepulcrum proprium.

De Iure Patronatus: c. 1456: « Uxor per seipsam ius patronatus exercet ... ».

De aliis in quibus versatur potestas viri et quae magis spectant ad effectus mere civiles, c. 1016 sic disponit: « Baptizatorum matrimonium regitur iure non solum divino, sed etiam canonico, salva competentia civilis potestatis circa mere civiles eiusdem matrimonii effectus ». Inter hos effectus censetur regimen bonorum sive amborum sive utriusque, quod complectitur plures leges civiles sub potestate status manet.

* * *

COMMENTARIUM BREVE IN QUAESTIONEM PROPOSITAM.

Fundamentum naturale quo ultimo nititur potestas viri in uxorem apparet ex indole diversa et ex donis particularibus quibus natura utrumque sexum ornavit. Ut quaevis societas ad finem statutum recte dirigatur, auctoritas ut medium indispensabile habetur. Jamvero, in societate familiali eadem potestas moralis est necessaria si ipsi coniuges una cum prole ad bonum domesticum assequendum feliciter conspirant. Dein si unitas directionis seu imperii est necessaria inqualibet societate, quanto maius intra fines restrictos sedis familialis haec unitas est exigenda? Ut summa haec conspiratio ad felicitatem domesticam securius habeatur, vir fortitudine et prudentia praeditus sit oportet. Experientia tristi testante, ubi virtutes hae viriles in capite familiae desiderantur, uxor prolesque magno damno generatim gravantur.

In potestate maritali exponenda, theologi limites dictae potestatis circumscribunt iis actionibus quae ad ordinem domesticum habitudinem ferunt. Hic omittitur sermo de iure in corpus mutuo de quo aequalitas omnimoda servanda est ut in relato c. 1111.

Potestas domestica qua vestitus est vir vi ipsius contractus coniugalis bonum tum familiae tum membrorum singulorum complectitur. Neque exercenda est modo des-

potico, sed vir sit memor uxorem suam ut sociam et consiliariam natura esse constitutam. Auctoritas bifariam inspici potest quatenus vir potest imperare uxoremque deficientem corrigere.

A) Vir uxori praecepta dare potest. Illaeso iure divino et ecclesiastico recte praecipere potest ea omnia quae bonum domesticum spectant. Obligatio correlativa obedientiae ex parte uxoris est evidens. De gravitate vel de levitate dictae obligationis hoc videtur dicendum. In re gravi, delinquendo, transgrediendo uxor graviter peccaret. Sic v. g., si contra explicitum mandatum mariti uxor summam magnam pecunii pro rebus superfluis expenderet, neglectis aliis rebus desideratis pro bono familiae. Heic pensanda est naturalis prohibitio dissipandi bona communia in ea quae superflua sunt. Actiones uxoris huiusmodi sub directione mariti cadunt quia eius est invigilare ne bonum domesticum detrimentum patiatur.

In rebus minoris momenti vero, vix offenderet uxor, si excluso contemptu, etiam contra explicita mandata mariti transgrederetur. Culpae incuriae debitae veniale non excederent. E contra neglectus habitualis curae domesticae, suasionibus mariti spretis, ex quo felicitas familiae in discrimine versatur, facile gravis censeri potest.

Obedientia sic dicta caeca a minorennibus iure exacta ab uxore urgeri nequit, quippe quae gradum fere aequalem cum viro in domus regimine tenet. Hinc si uxor adversus ea quae maritus disponit, insistat, cum recta subordinatione consonum est. Praeterea ea quae ab uxore sapienti viro suo ad agenda proponuntur, ab eodem prudenter considerari debent. Quandoque accidit ut propositum viri minus sapiens uxori appareat. Haec vero voluntati viri generaliter submittere debet ex principio iuxta quod obediendum est superiori rationabiliter imperanti. Mandata sane, quae bono domestico sive spirituali sive temporali adversantur irrationabilia censeri debent.

Hoc principio exposito, rationes propter quas uxor

ab obedientia excusatur brevi examini subiiciendae sunt. Ad quattuor reduci possunt:

a) amissio vel suspensio auctoritatis maritalis;
b) incapacitas viri physica vel mentalis;
c) praecepta quae bono domestico nocent;
d) defectus auctoritatis quoad materiam praeceptam.

a) Potestas maritalis implicite suspendi potest sive ad tempus sive in perpetuum, cohabitatione legitime interrupta ob delicta mariti. Tempore legitimae separationis, evidenter ab imperio viri libera manet uxor. Rationes ob quas legitima separatio temporaria instituitur Canon 1131-1 proponit:

« Si alter coniux sectae acatholicae nomen dederit; si prolem acatholice educaverit; si vitam criminosam et ignominiosam ducat; si grave seu animae seu corporis periculum alteri facessat; si saevitiis vitam communem nimis difficilem reddat, haec aliaque id genus, sunt pro altero coniuge totidem legitimae causae discedendi, auctoritate Ordinarii loci, et etiam propria auctoritate, si de eis certo constet, et periculum sit in mora ».

Ad normam Canonis 1129-1, uxor innocens propter adulterium viri ius habet solvendi in perpetuum communionem vitae:

« Propter coniugis adulterium, alter coniux, manente vinculo, ius habet solvendi, etiam in perpetuum, vitae communionem, nisi in crimen consenserit, aut eidem causam dederit, vel illud expresse aut tacite condonaverit, vel ipse quoque idem crimen commiserit ».

Restaurata autem communione vitae propter condonationem adulterii tacitam vel praesumptam secundum Canonem 1129-2 vel causa separationis temporariae cessante suspensa auctoritas viri reviviscit. Hoc ex tenore Canonis 1131-2 facile eruitur.

b) Incapacitas viri sive physica sive mentalis impedit ne hic efficaciter domui suae praeesse possit. Uxor, tempore quo vir potestate sua vacat, familiae domina manet. Vir leviter tantum infirmus quandoque domum suam satis regere potest; quo in casu auctoritas eius non suspenditur. E contra quaedam infirmitates quibus iudicium mentis turbari potest virum incapacem reddunt familiam prospere moderandi. Huic addi potest absentia viri necessaria vel inculpabilis, causa v. g. valetudinis, servitii militaris explendi aut negotii expediendi, propter quam uxor sola manet quae familiam dirigat.

c) Praeceptis damnosis nullo modo uxor tenetur. In bonum enim familiae data est potestas iubendi. Si vir uxori mandet ut sit nimis indulgens filiis vel omnia eorum desideria adimpleat, maritali iure abutitur. Similiter male agit maritus qui uxori imperet ut bona familiae in superfluis devoret. Mandata huiusmodi in detrimentum familiae operantur.

d) Ratione obiecti mandati, auctoritas mariti deficere potest. Palam est virum uxori praecipere non posse ut haec officia sua religiosa praetermittat. Ad servandam pacem domesticam, tamen, interdum uxor excusari posset ab obligatione v. g. sacrum audiendi implenda. Viro provocanti ad peccata sive contra ius coniugale sive contra alia mandata Dei uxor obtemperare non debet ut evidens est. Iubenti illi ut filii adeant scholas quae periculum in fide vel moribus praebeant resistendum est. Raro tamen erit haec resistentia efficax.

Ad inopiam familiae sublevandam labor extra domum suscipiendus uxori iure imponi potest. Excipias tamen si hic labor debitam curam filiorum impediret, vel ob infirmitatem mulieris nimis durus esset. In his similibusque casibus vir modum facile excedere potest.

Quia potestas viri non est absoluta, in multis rebus uxor libera manet. Quamvis unanimitas maxima inter coniuges sit optanda vix sperari potest hanc diu esse permansu-

ram. Inter ea quae uxor libere eligere potest, illaesa familiae cura, sunt, v. g. electio amicorum, modi recreationis, studia etc. Haec enim, de se, nullum nocumentum in iura coniugalia vel bonum domesticum operantur. Fatendum tamen est, res minimas et etiam nugatorias non raro paci coniugali vulnus inferre.

Inter res quae personam uxoris spectant et ad quas potestas maritalis non extendit enumeranda sunt vota privata. Propositum ut exemplum ab auctoribus antiquioribus problema de voto privato uxoris hodie rarius occurret. Principium quo regulatur auctoritas viri in vota uxoris in Canone 1312-2 est statutum:

« Qui potestatem non quidem in voluntatem voventis, sed in voti materiam habet, potest voti obligationem tandiu suspendere, quandiu voti adimplementum sibi praeiudicium afferat ».

Hic iuvabit referre ea quae habet P. Suarez de potestate coniugis in vota alterius. Ratio fundamentalis cic enucleatur:

« ... subiectio uxoris ad virum solum nascitur ex vinculo matrimonii et est illi commensurata, non enim intercedit ibi alia specialis promissio, vel ratio obligationis, ut per se constat, et omnes fatentur. Sed ex vi talis vinculi solum sequitur subiectio necessaria, et conveniens ad talem statum, id est ad usum matrimonii, educationem filiorum et gubernationem familiae. Ergo dependentia et subiectio in votis secundum se et ex parte voluntatis, non sequitur ex vinculo matrimonii, sed solum ratione materiae, vel in ordine a dictam gubernationem... Et confirmatur primo quia subiectio uxoris ad virum non est absoluta in omnibus rebus, ut per se patet; ergo continetur intra dictos limites; nullo enim alio modo rationabiliter definiri potest. Confirmatur secundo, quia non potest maritus prohibere uxori pro suo arbitrio omnia opera supererogationis, nec potest praecipere quidquid libuerit etiam in corporalibus, sed cum proportione ad

statum. Ergo nec potest praecipere ne voveat id quod alias potest facere, cum sit opus supererogationis; ergo nec tollere potest vota, ex eo solum quod voluntariam obligationem afferunt. Tandem hic habet locum, quod de servis dicebamus, quod haec subiectio uxoris ad virum, corporis est, non spiritus, per se loquendo; quia non ordinatur per se et immediate ad finem spiritualem, sed ad humanum et quasi corporalem. Ergo per se et directe non extenditur illa subiectio ad dependentiam ex parte voluntatis in vovendo, et se obligando Deo, sed ad summum ex parte materiae promissae, ut declarabimus »[9].

Quia adimpletio voti castitatis ab uxore facti, iuri in corpus a marito acquisito praeiudicium afferret, ipse vir, habens potestatem in materiam votum uxoris, potest *suspendere* obligationem idem votum servandi. Olim talis actus *indirecta* irritatio dicebatur. De observatione aliorum votorum ab uxore forsitan emissorum pari modo dicendum est. Si illaesa manent iura mariti et familiae et observatio voti facile componi potest cum disciplina domestica, irrationabiliter ageret vir qui obstaret ne uxor vota sua adimpleret.

B) Vir uxorem *corrigere* potest.

Nisi auctoritas sit inefficax, exigit potestatem coactivam seu potestatem moralem mediis aptis urgendi finem proprium societati. Si igitur, res ita ferat, eodem iure corrigendi gaudet vir. Sane, si coniuges in spiritu manent vinculo amoris uniti, suadente Apostolo, ius corrigendi in praxim numquam reducetur. Fere omnes admittunt viro competere potestatem correctivam etsi usus talis potestatis difficultatibus et quidem gravibus non careat.

Finis potestatis correctivae est medicinalis. Propria potestate puniendi vir caret, cum haec potestas dicta vindicativa ad expiationem culpae dirigitur. Soli potestati

---

[9] *Opera Omnia*, Vol. 14; lib. 6; cap. 4; n. 2.

publicae competit ius infligendi poenas vindicativas. Si locus correctioni erit, moderata et proportionata culpae seu transgressioni habituali esse debet, et directa ad curandam uxorem inconstantem. Ceterum maritus non semper corrigere uxorem delinquentem tenetur. Una alterave vice culpam levem silentio praeterire potest. Sed caritas ipsa quandoque correctionem uxoris urgere potest. Nam, sicut filii, neglecta disciplina paterna, male educati erunt, sic etiam uxor, nimis indulgente viro, refractaria facile evaserit.

Admisso principio emendativo quod viro iure naturae competit, quidam, saltem theoretice, castigationem physicam non excluderent. Quamvis castigatio corporalis non est contra rationem modo sit moderate exercitata et cum spe fructus exinde sequentis, manet nihilominus res delicatissima. Hodie enim ex castigationibus physicis repetitis tum separatio corporum tum dispersio familiae facile sequi possunt. Qui contendunt castigationem vel verberationem esse licitam neutramque coram liberis permitterent quia tum his tum uxori nimis durum esset. De hac quaestione ait Payen:

Correctio. — Si justa sit causa, verbis etiam contumeliosis, privatione rei gratae, imo moderatis verberibus potest maritus uxorem castigare, dummodo, quantum sinunt adiuncta, coram liberis mulieri parcat. « Suppono », ait Sanchez, « viro integrum esse uxorem verberare, non passim ex levique causa, nec acriter, quamvis magna causa, et acri flagellatione digna, intercedat, sed raro, urgentique causa postulante, et judici reliquenda est, cujus est juridica punitio, delictoque gravi condigna. Viro autem respectu uxoris, filiorum et familiae non hujusmodi punitio incumbit, sed domestica et moderata, quae potius correctionem quam poenam spectat » [10], [11].

---

[10] SANCHEZ, l. X, disp. 18, n. 6.

[11] PAYEN, *op. cit.* 2: 2121.

Quidquid sit de quaestione castigationis theoretica, multis in regionibus haec forma correctionis non solum separationi corporum sed etiam solutioni vinculi dat causam [12], [13].

Si ex tractatione uxoris severa, neque vires debilitatae neque separatio corporum exinde sequerentur, vix dubium est quin spiritus mulieris maneat laceratus.

Etiam propter adulterium uxoris, iniuria physica, vel quod peius esset, necatio adulterae nullemode excusari posset. De qua iniuria loquitur Benedictus XIV: « Insuper iuxta antiquiores leges, ius erat marito occidendi uxorem in adulterio deprehensam ... per posteriores vero ius datum est occidendi adulterum turpiter cum uxore agentem, in propria domo deprehensum ... At omnes eiusmodi leges utpote quae impunitatem dabant delinquentibus contra quintum decalogi praeceptum, sunt a Iure Canonico rescissae. Quare Alexander VII, 7 Sept. 1665 hanc confixit propositionem: *non peccat maritus occidendo propria auctoritate uxorem in adultero deprehensam.* Adeoque ius Canonicum abhorret ab occisione uxoris, etiam in adulterio repertae, ut virum occisorem non solvat ab impedimento alias nuptias contrahendi, statum contra caeteros propriae uxoris interfectores etc » [14].

Tandem, S. Augustinus consilium sapiens proponit quod coram oculis mariti qui ab uxore inconstanti male torquetur fixum manere debet: « Raro et ex magna necessitate abiurgationes sunt adhibendae, in quibus non nobis, sed ut Domino serviatur, instemus » [15].

---

12 Cf. Le Bras, *Divorce et séparation de corps dans le monde contemporain,* passim.

13 Cf. Madden, *Handbook of the Law on Persons and Domestic Relations.* p. 152.

14 *Opus de Synodo Diocesana in Synopsim redactum.* Lib. IX Cap. XII n. 6.

15 Cf. Rosset, *De Matrimonio,* n. 3682.

RECAPITULATIO

Regula, ipsa natura hominis fixa, qua maritus est ordinatus ut princeps domesticus iam recepta est ab exordiis generis humani. Firmissima manet a divino mandato in S. Scriptura indicato necnon praescriptis civilibus. Haec regula primaria societatis domesticae exigit ut viro rationabiliter praecipienti uxor obtemperet. Nam gubernatio domestica, ut in aliis formis auctoritatis exercendae ad normam rationis exerceri debet. Potestas haec oeconomica normis a natura fixis circumscribitur, nempe iis quibus bonum domesticum, mandante natura, regitur.

Res vero uxoris quae ne indirecte quidem bono domestico affines sunt, sub imperio viri non cadunt. Hinc, uxori integra manet illa sphaera activitatis in quam nemo intrudere potest. Praerogativa correctionis a viro est cautissime exercenda ne malum removendum in deterius cadat. Castigatio enim iuste inflicta causam divortio civili ex capite crudelitatis seu saevitiarum dare potest.

Cohabitatio, quae integritatem matrimonii respicit ob rationes iure admissas quandoque suspendi potest. Divortio excepto, in plurimis rebus quae ad relationes domesticas spectant ius tum canonicum tum civile hodiernum mire concordant [16].

Iacobus Risk S. I.

---

[16] Pro exceptione notabili cf. Oesterle, Consultationes de Iure Matrimoniali, p. 41, ubi refertur ius singulare Sovieticum de aequalitate coniugum.

DE JURE CON-GESTIONIS SALARIATORUM

Praemittimus nos hic non loqui de variis rebus ordinandis, circa quas hodie salariati deliberative, immo nonnumquam decisive gestionem officinae oeconomicae cum proprietariis aut cum illorum repraesentantibus participant. Praetereundo alios autores hanc materiam invenies bene nuperrime expositam a R. P. Louis Brouwers S. J. in articulo « Le problème de la cogestion » (Bulletin Social des Industriels, Dec. 53 et Janv. 54, Bruxelles). Notetur solum etiam doctrinam Summi Pontificis Pii XII. tantum abesse a refutanda generali idea con-gestionis ut illam saepius explicite et implicite recommandaverit. Hoc mirum non est, cum Pius XII. sibi propria faciat verba Antecessoris sui in Encycl. « Quadragesimo anno », qui, postquam contractum operae defendit, adjungit: « Hodiernis tamen humanae consortionis condicionibus consultius fore reputamus si quod eius fieri possit, contractus operae per societatis contractum aliquantum temperetur, quemadmodum diversis modis fieri iam coepit, haud exiguo operariorum et possessorum emolumento. Ita operarii officialesque consortes fiunt dominii vel curationis aut de lucris perceptis aliqua ratione participant ».

Jamvero tales fines non possunt cum mutua fiducia attendi nisi adsunt formae con-gestionis sive supra basim singularis officinae sive supra basim respectivi rami productionis aut totalis oeconomiae nationalis. Immo Oeconomistae et Sociologi hodie plerumque formas con-gestionis supra basim ramorum productionis praeferre videntur, praesertim si inter fines intendendos sunt etiam stabilitas occupationis necnon securitas et fides salarii *realiter* sufficientis semper recipiendi. Ratio cur illi periti in causa con-gestionis ita sentiant in speciali indole ho-

diernae oeconomiae socialis sita est quippequae sub influxu singularis evolutionis technicae magis quam umquam dynamica est et sortem oeconomicam officinarum interdependentem inter sese in summo gradu reddit (cf. de hoc aspectu problematis Prof. Dr. Dr. Hans Bayer, Innsbruck: Gewinnbeteiligung. Internationale Erfahrungen, Wirtschaftstheoretische Untersuchungen, Wirtschaftspolitische Erkenntnisse. Wien, Springer-Verlag, 1952).

Inde concludere possumus actualem processum oeconomicum cuidam tendentiae ad con-gestionem favere non dissimili ideae « ordinis professionalis » quam Encycl. « Quadragesimo anno » ut formam organisationis supra basim singulorum ramorum productionis pro universali oeconomia proponit. Jamvero talis con-gestionis forma natura sua ad bonum commune conservandum et promovendum totalis oeconomiae nationalis immediate finaliter refertur, proin et objecta et juridicam paritatem participantium in con-gestione sub illo aspectu universali affirmat quidem simulque delimitat. Ratio est quia data illa con-gestionis forma originaria indoles vitae oeconomicae ut rei *privatae* hominum et structura juris privati in singulis officinis omnino intactae remanere debent certe casibus extraordinariis non negatis. Hoc gravissimum principium doctrinae socialis Ecclesiae Pius XII, in omnibus Allocutionibus ubi problema con-gestionis tractat semper effert et immediatam gestionem oeconomiae universalis ex parte societatis ut rem normalem excludit (cf. Alloc. d. d. 7. V. 49, 3. VI. 50, 14. IX. 52).

Patet haec omnia nequaquam excludere, immo includere formas con-gestionis sive deliberativae sive decisivae etiam in structura singularis officinae jure haberi posse. In hoc casu quaeritur solum quousque talis con-gestio salariatorum se extendere possit. Verba in Encycl. « Quadragesimo anno », nempe « hodiernis humanae consortionis condicionibus » insinuant *praerequiri* quasdam perfectiones personales et reales in oeconomia quae certe non

vel nondum in omnibus nationibus habentur et, ubi habentur, non aequali modo habentur. *Principium* vero quousque jure con-gestio salariatorum extendi possit respectu ad « hodiernas humanae consortionis condiciones » minime constituitur, etsi nonnulli hoc praesumunt et formam democraticam hodie in mundo politico praevalentem singulis officinis oeconomicis applicandam esse statuunt.

Ex Allocutionibus Pontificiis supra laudatis colligimus Pium XII, etsi formis con-gestionis in officinis non contrarius sit, tamen jus con-gestionis salariatorum ad con-gestionem *totalem* non extendere, ubi ergo tum in objectis cum in modo gestionis plena juridica paritas cum proprietariis seu ipsorum locum tenentibus habeatur. Hoc vult dicere si Summus Pontifex pluries « jus congestionis oeconomicae » refutat. Est igitur in proprietario vi juris proprietatis aliqua facultas gestiendi quae non-proprietariis per contractum operae officinae adhaerentibus nec quoad modum nec quoad objectum competere potest. Haec facultas, quamquam illam « hodiernis humanae consortionis condicionibus » quam maxime quoad usum legislatione restrictam supponis, dicit formaliter decisionem de rebus ut suis (propriis). Hoc nequaquam enervari potest, etsi non excludit in sphaera oeconomica quoque penes salariatos jus con-gestionis deliberativae in causis maximi momenti, immo jus proponendi tales decisiones proprietarii arbitrio neutrali ad examinandum sub respectu scopi universalis oeconomiae.

Pius XII. inculcat falsum jus con-gestionis totalis in salariatis resultare aut ex praesumpta quadam natura juridica officinae oeconomicae ut talis aut ex non recta intellectione contractus operae. In primo casu officina ut unio socialis reducitur ad praesumptum fontem ontologicum societatis humanae in genere et implicite omnium societatum particularium, nempe ad « bonum commune » ut bonum totale naturae humanae specificae, quod ut tale simul est radix ontologica ordinis juridici. Proin

reductio ad hoc « bonum commune » induit singularem officinam ut talem natura juridica, qua est aliquod concretisatum « ius sociale » constitutive integrans omnia membra officinae ipsorumque jura, quibus officinae adhaerent sive per jus proprietatis sive per jus ex contractu operae. Hac via facile pervenitur ad stabiliendam plenam juridicam paritatem omnium membrorum super fundamentum « boni communis » ut principii constitutivi officinae ut unionis socialis et ad affirmandum jus con-gestionis totalis penes salariatos. Pius XII. tale « bonum commune » ut radicem omnis societatis et ordinis juridici non admittit, cum iterum atque iterum repetat personam humanam ut imaginem Dei esse fontem omnis socialitatis et societatis necnon ordinis juridici. Unde primum argumentum pro jure con-gestionis totalis ex natura juridica officinae deductum in doctrinam Pontificiam intrare nequit (cf. praesertim Alloc. d. d. 7. V. 49).

In secundo casu jus con-gestionis totalis penes salariatos ex natura contractus operae petere conantur. Dicunt enim utrumque contrahentem in contractu operae aeque esse subjectum, non objectum in vita sociali ad quam pertinet oeconomia. Recte quidem; at ipso contractu operae propter productionem in officina inito utraque pars contractus sub ratione subjecti in oeconomia sociali correlativam delimitationem ex determinata objectivisatione patitur, quatenus conducens suam proprietatem, conductus suam operam interponit. Cum contractus operae etiam hodie secundum « Quadragesimo anno » non sit contra honestatem morum, neque illa delimitatio sub ratione sujecti in neutra parte est contra honestatem morum. Inde sequitur jus con-gestionis totalis in salariatis nequaquam peti posse ut ratio subjecti in vita sociali et oeconomica restabiliatur.

Quod vero contractus operae pro salariato quamdam relationem subordinationis et restrictae libertatis in officina secumfert, pertinet ad elementa naturaliter consec-

tanea contractus operae, non ad suam essentiam, cum non simus in Marxismo. At in hac parte restrictae libertatis est etiam secundum Pium XII. vastissimus campus statuendi juris con-gestionis, proin remissae restrictionis libertatis et exercitii propriae responsabilitatis penes salariatos, prout « hodiernae consortionis humanae condiciones » insinuant et datis praerequisitis (supra!) permittunt. Jamvero tales formae con-gestionis numquam usque ad con-gestionem totalem extendi possunt, quia secus essentia contractus operae modo exposita destrueretur. Destruetur enim in altera parte contractus determinata qualitas, qua ipsa quoque est vitae socialis et oeconomicae subjectum et qua praecise contractum operae iniit, nempe ut proprietarius (cf. praesertim Alloc. d. d. 3. VI. 50, ubi Summus Pontifex locum in « Quadragesimo anno » de contractu operae hodie « temperando » interpretatur).

Certe sunt qui illum nexum in doctrina Ecclesiae sociali hodie in dubium vocant, nexum nempe inter proprietatem et hominem proprietarium ut personam, dominum sui, subjectum, non objectum in vita sociali et oeconomica. Pius XII. ipse in Allocutione modo citata facta admittit quae hodiernam proprietatem oeconomicam a personali responsabilitate separatam et anonymo collectivo regimini submissam ostendunt. At facta ut talia numquam sunt fons fundans normarum. Inde Summus Pontifex alienissimus approbare hanc funestam viam de-personalisationis instituti proprietatis reformationem postulat. Aliqui qui historicismo imbuti et philosophae socialis scholasticae ignari in hac sententia Pontificis vestigia Feudalismi in materia proprietatis detegere volunt, viam de-personalisationis proprietatis per progressum technicum quoddam fatum esse asserunt. Loquuntur de futura « nova societate », ubi officina dimensionis maximae in oeconomia sociali praevalens typus erit et momentum proprietatis in ordinando et dirigendo processu oeconomico sociali nullum erit. Ipse progressus technicus continuus

provocans productionem et consumptionem « in massa » motor cum propria ratione immanente erit (cf. de hac re visionem acutam et ingeniosam apud Peter F. Drucker, The new society. The anatomy of industrial order. New York 1951).

At si intimius hanc « societatem novam » inspicis officina oeconomica maximae dimensionis ut institutio plene de-personalisata et objectivisata unicum elementum ordinans vitae socialis humanae est. Processus de-personalisationis non solum autonomam functionem ordinantem instituti proprietatis in vita sociali evacuavit, sed etiam Familiae et Status. Agitur vero hic de tribus institutis quae secundum philosophiam scholasticam interdependente functione vitam socialem totalem ordinare debent. Visio « novae societatis » exhibet ordinem socialem non, uti par est, ut ordinem rerum versus homines, sed ut ordinem hominum versus res aut potius versus aliquem dynamismum technicum. Jam ante duos annos Pius XII. in sua Allocutione Natalitia (1952) de tali de-personalisatione vitae socialis et de praedominio rerum conquestus est. Sine memoratis fundamentalibus institutis ordinantibus, quae vero solum autonomia personalis indolis hanc functionem exercere possunt, humanum genus ad ruinam trahetur. Notus Sociologus Hans Freyer talem « societatem novam » vocat « societatem secundariam » et observat illam tantum subsistere posse, quamdiu elementa « societatis primariae » debita institutis proprietatis privatae, Familiae, Status adhuc efficaciam exercent. Illa plena de-personalisatio ordinis vitae socialis per dominium processus objectivisati rerum creabit societatem *ex sese* incapacem ad subsistendum (cf. Hans Freyer, Der Mensch und die gesellschaftliche Ordnung der Gegenwart. In « Zeitschrift für die gesamte Staatswissenschaft, 110. Band, 1. Heft).

Inde videri potest Summum Pontificem contra praesumptum jus con-gestionis totalis merito et cum profundissima perspicientia realitatis socialis modernae efferre

personalem characterem originariam juris proprietatis privatae. Recentius hoc fecit in sua Allocutione d. d. 14. IX. 52. Si proin paucis diebus post Secretaria Status in epistula ad « Settimana Sociale » Taurinensem loquitur de con-gestione salariatorum etiam oeconomicam et illam ut « ideale » declarat ad quod operarii Italiani aspirare possunt, hoc conformiter cum doctrina immediata Summi Pontificis intelligi debet. Haec doctrina vero constanter rejicit jus congestionis *totalis* sensu stricto supra exposito propter rationes veritatis et justitiae hic propositas. Talequid ergo potest esse nequaquam « ideale » ad quod aspirare licet neque afirmatur in ullo loco epistulae. Omnes alias formas con-gestionis aut participationis in gestione etiam in campo oeconomico Summus Pontifex admittit datis vere praerequisitis « hodiernae consortionis humanae ». Forsan in multis casibus et nationibus melius erit interim ut « ideale » proclamare aspirationem ad illa praerequisita personalia et realia in societate oeconomica nationis. Ad hunc scopum iuvat liber alicuius antesignani catholici in hac materia, qui longam peritiam in conditionibus et Europae et Americae habet : Franz H. Mueller, Soziale Theorie des Betriebs, Berlin 1952. De reliquo recentius potes textus ecclesiasticos de nostro problemate bene ordinatos invenire sub titulo « Union Internationale des Etudes sociales de Malines. Notes sur la participation à la gestion de l'entreprise ». In « Bulletin » supra citato.

Gustav Gundlach S. I.

MENS ECCLESIAE ET BIBLICA EXEGESIS

Die 9 Junii 1953 COMMISSIO PONTIFICIA DE RE BIBLICA publici iuris fecit *Declarationem* de libro R. D. Bernardi Bonkamp, cui titulus: Die Psalmen [1]. Haec autem *Declaratio* supponit Ecclesiam suas habere regulas hermeneuticas proprias quibus exegeta catholicus regi debeat. Perspicue de hac re LEO XIII in *Encyclica* « Providentissimus » agens de usu divinae Scripturae in re theologica: « Quo in genere animadvertisse oportet, ad ceteras difficultatis causas, quae in quibusvis libris intelligendis occurrunt, proprias aliquas in Libris Sacris accedere. Eorum enim verbis, auctore Spiritu Sancto, res multae subiiciuntur, quae humanae vim aciemque rationis longissime vincunt, divina scilicet mysteria et quae cum illis continentur alia multa; idque nonnunquam ampliore quadam et reconditiore sententia, quam exprimere littera et hermeneuticae leges indicare videantur; alios praeterea sensus, vel ad dogmata illustranda vel ad commendanda praecepta vitae, ipse litteralis sensus profecto adsciscit » [2].

Librorum ergo Sacrorum studium, tum ex eorum auctore Spiritu Sancto, tum ex contentu dogmatico-morali, non modo subiacet communibus hermeneuticis legibus, sed etiam nonnullis legibus specialibus. De utrisque agit LEO XIII, cum Libri Sacri simul habeant auctorem hominem et Deum. Haec de prioribus: « Primum autem consilium est, ut probata communiter interpretandi praescripta tanto experrectiore observentur cura, quanto morosior ab adversariis urget contentio. Propterea cum studio perpendendi quid ipsa verba valeant, quid consecutio rerum velit, quid locorum similitudo aut alia cetera, externa quoque appositae eruditionis illustratio societur » [3].

---

1 Cf. *Periodica de re morali* ... 42 (1953), p. 431.

2 *Ench. Bibl.* 93; Cf. et 134.

3 *Ench. Bibl.* 92.

His propositis legibus hermeneuticis cuicumque libro ab homine conscripto conmunibus, Summus Pontifex ad peculiares pergit, quas Liber Sacer, a Deo conscriptus, sibi vindicat: « Quamobrem diffitendum non est religiosa quadam obscuritate Sacros Libros involvi, ut ad eos, nisi aliquo viae duce, nemo ingredi possit: Deo quidem sic providente ut homines... intelligerent praecipue Scripturas Deum tradidisse Ecclesiae, qua scilicet duce et magistra in legendis tractandisque eloquiis suis certissime uteretur ». Hac in re, Leo XIII vestigia premit Patrum, quorum « doctrinam Synodus Vaticana amplexa est quando Tridentinum decretum de divini verbi scripti interpretatione renovans, hanc illius mentem esse declaravit, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae Ecclesiae pertinentium, is pro vero sensu Sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam Sacram interpretari » [4].

En duplex peculiaris regula exegesis catholicae, quam praedicta *Declaratio* urget cuique alienum declarat nuper memoratum Psalmorum Commentarium: « Non satisfacit legibus hermeneuticis catholicis ». Affirmatio quidem generalis sub forma negativa, quae continuo sic positive explicatur: « Sed posthabitis traditione catholica et normis Magisterii ecclesiastici, innititur magna ex parte criteriis subiectivis et prorsus arbitrariis ». Est ergo Commentarum exegeticum quod et negligit regulas exegesi catholicae proprias (aspectus negativus), et, consequenter, abutitur regulis mere humanis; quinimo ex his, illas eligit quae facile subiectivismo patent (aspectus positivus). Quid de hoc positivo aspectu Ecclesia senserit, breviter videamus.

---

[4] *Ench. Bibl.* 93.

A) *Criteria subiectiva.*

Saepe, inde a Leone XIII, documenta Ecclesiae de re biblica hanc quaestionem, nunc his nunc aliis verbis, proposuerunt. Commendato magistris Sacrae Scripturae studio linguarum veterum orientalium, prosequitur Summus Pontifex in *Encyclica* « Providentissimus »: « Hos autem ipsos, eiusdem rei gratia, doctiores esse oportet atque exercitatiores in vera artis criticae disciplina: perperam enim et cum religionis damno inductum est artificium, nomine honestatum criticae sublimioris, quo ex solis internis, uti loquuntur, rationibus, cuiusquam libri origo, integritas, auctoritas diiudicata emergant ».

Post haec a Leone XIII scripta, via artis criticae ac sic dicti argumenti interni multos gressus fecit et, omni alio argumento externo saepe posthabito, exegesim, etiam catholicorum, facile pervasit. Iniuria, quidem, nam, teste ipso Summo Pontifice, « perspicuum est, in quaestionibus rei historicae, cuiusmodi origo et conservatio librorum, historiae testimonia valere prae ceteris, eaque esse quam studiosissime et conquirenda et excutienda: illas vero rationes internas plerumque non esse tanti, ut in causam, nisi ad quamdam confirmationem, possint advocari ».

Haec complens, Leo XIII catholicos monet de « magnis incommodis » motum effrenatum argumenti interni theoriae « consequentibus ». Inter haec, sequentia: « Illud ipsum quod extollunt genus criticae sublimioris, eo demum recidet, ut suum quisque studium praeiudicatamque opinionem interpretando sectentur: inde neque Scripturis quaesitum lumen accedet, neque ulla doctrina oritura utilitas est, sed serta illa patebit erroris nota, quae est varietas et dissimilitudo sentiendi, ut iam ipsi sunt documento huiusce novae principes disciplinae: inde etiam, quia plerique infecti sunt vanae philosophiae et rationalismi placitis, ideo prophetias, miracula, cetera quaecum-

que naturae ordinem superent, ex Sacris Libris dimovere non verebuntur » [5].

Ut facile videre licet, Leo XIII et commoda laudat quae ex theoria argumenti interni exegesi catholicae advenire, et incommoda timet quae ex incauto eius usu ei derivare possunt. Hinc quod denuo, in *Litteris Apostolicis* « Vigilantiae » utrumque verbis sollicitis proponat: « Artis criticae disciplinam, quippe percipiendae penitus hagiographorum sententiae perutilem, Nobis vehementer probantibus, nostri excolant. Hanc ipsam facultatem, adhibita loco ope heterodoxorum, Nobis non repugnantibus, iidem exacuant. Videant tamen ne ex hac consuetudine intemperantiam iudicii imbibant: siquidem in hanc saepe recidit artificium illud criticae, ut aiunt, sublimioris; cuius periculosam temeritatem plus semel Ipsi denuntiavimus » [6].

Leonis XIII doctrinam inducentes, eius Successores huius periculosae temeritatis et aspectum et fructus denuntiant. Quod tamen ita faciunt, ut non usum, sed abusum condemnent. Sic Pius X cum in *Motu proprio* « Sacrorum Antistitum » haec, inter alia, in formula iurisiurandi proponit profitenda: « Reprobo pariter eam Scripturae Sanctae diiudicandae atque interpretandae rationem, quae Ecclesiae traditione, analogia fidei, et Apostolicae Sedis normis posthabitis, *rationalistarum* commentis inhaeret, et criticen textus velut unicam supremamque regulam haud minus licenter quam temere, amplectitur » [7].

Hunc abusum condemnat et Pius XI, cum per *S. S. Congr. S. Officii* haec de opere « Manuel Biblique » D. Brassac proponit: « Falsa etiam utitur methodo, cum, neglecta nimis expositione positiva integrae doctrinae catholicae, animo specietenus indifferenti proponit ex una

---

5 *Ench. Bibl.* 103-104.
6 *Ench. Bibl.* 135.
7 *Ench. Bibl.* 350; cf. etiam 271 et 276.

parte argumenta quae stant pro sententia traditionali, ex altera vero studiose effert rationes, quae arte critica, quam vocant, ex indiciis internis accumulantur ad novas opiniones commendandas, quin harum rationum inefficaciam atque debilitatem verbo indicet » [8].

Longum quidem esset diversa evolvere *Responsa* Pont. Commissionis de re biblica, quibus et aspectus negativus damni signantur in theoria, sic dicta, argumenti interni. Hoc tamen facile comprobari potest ex lectis v. gr. Responsis de *Mosaica authentia Pentateuchi, de auctore et veritate historica quarti Evangelii, de libri Isaiae indole et auctore, de auctoribus et tempore compositionis Psalmorum* ... [9].

His paucis de diversis ecclesiasticis documentis propositis, libet doctrinam de critica textus, prout intime connectitur cum theoria argumenti interni, complere verbis Pii XII in *Encyclica* « Divino afflante Spiritu ». Cum ergo ad studium linguarum biblicarum aliarumque orientalium exegetas catholicos enixe hortatus fuerit, concludit Summus Pontifex: « Eadem igitur ratione primigenium illum textum explanari oportet, qui ab ipso sacro auctore conscriptus maiorem auctoritatem maiusque pondus habet, quam quaelibet, utut optima, sive antiqua sive recentior conversio; quod facilius profecto utiliusque fieri potest, si cum cognitione linguarum etiam solida criticae artis peritia, ad eumdem textum quod attinet, coniungitur ».

Commendatur ergo usus artis criticae, cuius momentum in exegesi biblica, iam ab Augustino magni habitum, maxime his temporibus elucere effertur: « Hodie vero haec ars, quae *criticae textualis* nomine venit et in edendis profanis scriptionibus magna cum laude et fructu adhibetur, in Libris quoque Sacris, ob ipsam reverentiam

---

[8] *Ench. Bibl.* 513.

[9] *Ench. Bibl.* 174; 177; 180; 181; 290; 346.

divino eloquio debitam, iure optimo censetur. Id enim ex instituto suo praestat, ut textum sacrum, quantum fieri potest, quam perfectissime restituat, a depravationibus infirmitate amanuensium illatis eum expurget, eumque a glossis et lacunis, a verborum inversionibus ac repetitionibus ab aliisque omne genus mendis quae in litteras per multa saecula irrepere solent, pro viribus liberet ».

En nobilis scopus critices textualis, cuius historia et usus in re biblica breviter a Pontifice produntur: « Ac vix opus est animadvertere istiusmodi criticen, quam abhinc aliquot decenniis non pauci arbitrio plane suo adhibuerunt, atque ita non raro, ut quis dixerit eosdem ad inferendas in sacrum textum praeiudicatas suas opiniones id fecisse, hodie eam legum stabilitatem et securitatem attigisse, ut insigne facta sit instrumentum ad divinum eloquium purius accuratiusque edendum, et ut quilibet abusus facile detegi possit ».

His praesuppositis, cumque « Ecclesia, inde a primis saeculis ad aetatem usque hanc nostram, haec criticae artis studia in honore habuerit », nihil mirum quod, exegetas catholicos adloquens, Summus Pontifex concludat: « Hodie igitur, postquam huius artis disciplina ad tantam pervenit perfectionem, rei biblicae studiosorum munus est honorificum, etsi non semper facile, omni ope curare, ut quam primum a catholicis opportune apparentur tam Sacrorum Librorum, quam antiquarum conversionum editiones ad has normas redactae, quae nempe cum summa sacri textus reverentia accuratam coniungant omnium legum criticarum observationem » [10].

Haec de arte critica a Pio XII, Leone XIII praecipue praeeunte, edocta si rite fuissent a catholicis observata, illa fuissent gravissima incommoda vitata, quibus e contra nonnulla hodierna exegetica commentaria

---

10 *AAS.* 35 (1943), p. 307-308.

infecta apparent. Non enim vult Summus Pontifex ut in hac critica textus, tanquam vel in unico medio, vel in fine obtinendo, exegeta catholicus sistat; sed ut « linguarum antiquarum cognitione et criticae artis subsidiis egregie instructus, exegeta catholicus ad illud accedat munus, quod ex omnibus ei impositum summum est, ut nempe germanam ipsam Sacrorum Librorum sententiam reperiat atque exponat ». Hoc vero munus magis definiens, ait: « Quo in opere exsequendo ante oculos habeant interpretes sibi illud omnium maximum curandum esse, ut clare dispiciant ac definiant, quis sit verborum biblicorum sensus, quem *litteralem* vocant ».

Libri ergo Sacri, utpote hominibus per homines a Deo transmissi, illa humana diligentia tractari debent, illis humanis mediis evolvi, « quae ... in profanorum quoque scriptorum interpretatione in auxilium vocari solent, ut auctoris mens luculenter patescat ». Tamen, cum sint Libri divini, nequit sensus *littteralis* inquiri sola « cognitione linguarum », etiam « ope adhibita contextus comparationisque cum assimilibus locis ». Hinc animadversio Pii XII, adhuc magis prementis vestigia Leonis XIII: « Sacrarum autem Litterarum exegetae, memores de verbo divinitus inspirato heic agi, cuius custodia et interpretatio ab ipso Deo Ecclesiae commissa est, non minus diligenter rationem habeant explanationum et declarationum magisterii Ecclesiae, itemque explicationis a Sanctis Patribus datae, atque etiam analogiae fidei, ut Leo XIII in *Encyclicis Litteris* « Providentissimus Deus » sapientissime animadvertit ».

Sapientissimum quidem consilium, ne catholicus exegeta commentaria biblica edat *innixus magna ex parte criteriis subiectivis et prorsus arbitrariis*. Hoc dolet peractum praedicta *Declaratio* Pont. Comm. de re Biblica in memorato Psalmorum Commentario; hoc lamentatur Pius XII et in aliis commentariis accidisse, sic concludens: « Singulari vero studio id agant, ut non tantum

— id quod in quibusdam commentariis fieri dolemus — eas res exponant quae ad historiam, archaeologiam, philologiam ad aliasque huiusmodi disciplinas spectent; sed illis quidem opportune allatis, quantum ad exegesim conferre possint, ostendant potissimum quae sit singulorum librorum vel textuum theologica doctrina de rebus fidei et morum »[11].

Dolendum sane quod inter catholicos exegetas nonnulli possint numerari, qui, has normas magisterii ecclesiastici plus minus negligentes, exclusive fere indulgeant usui artis criticae, argumento interno, elementis extrabiblicis, quasi non « memores de verbo divinitus inspirato heic agi ». Exegesis quidem incompleta et essentialiter manca, quae ideo etiam a multis exegetis acatholicis ut insufficiens et minime satisfaciens hodie derelinquitur.

B) *Traditio catholica.*

Quanti in re exegetica haberi debeat traditio catholica, facile evincitur e documentis Ecclesiae his ultimis decenniis editis. Haec vero traditio catholica, non quidem semper adaequate vel stricto sensu intellecta, ex eo commendatur quod nonnulli exegetae catholici, ea nonnunquam posthabita vel etiam neglecta, commentaria ediderint magna ex parte subiectiva et extrabiblica. Iuvabit ergo complere quae hucusque de hac re necessario innui debuerunt in argumento priori tractando.

In corde semper fuit Ecclesiae doctrina Patrum de Libris Sacris. En quae s. IV de Canone tenendum proponit Concilium Carthaginense tertium: « Hoc etiam fratri et consacerdoti nostro sancto Bonifacio, urbis Romae episcopo, vel aliis earum partium episcopis pro con-

11 *AAS* 35 (1943) p. 310-311.

firmando isto canone innotescat, quia a Patribus ita accepimus in Ecclesiae legendum »[12]. Qua de Canone quaestione, simul cum aliis agitata, s. XVI CONCILIUM SENONENSE memorat « definitum a Sanctis Patribus librorum catalogum »[13], TRIDENTINA vero SYNODUS apparet « ortodoxorum Patrum exempla secuta »[14].

Quodsi ad quaestionem de interpretatione exegetica, de qua in his notis directe, transeamus, denuo lubet LEONEM XIII primum in medium proferre utpote vinculum nobilissimum antiqua inter et recentiora Ecclesiae documenta. Haec a magistris Sacrae Scripturae Summus Pontifex in *Encyclica* « Providentissimus » desiderat: « Huius igitur disciplinae magister hac etiam laude floreat oportet, ut omnem theologiam egregie teneat, atque in commentariis versatus sit SS. Patrum Doctorumque et interpretum optimorum ».

His verbis introducit Summus Pontifex illam traditionem catholicam, diversis quidem elementis compositam, in quibus SS. Patrum doctrina eminet. Ideo de hac re statim: « Iamvero SS. Patrum, quibus post Apostolos, sancta Ecclesia plantatoribus rigatoribus, aedificatoribus, pastoribus nutritoribus crevit, summa auctoritas est, quotiescumque testimonium aliquod biblicum, ut ad fidei pertinens morumve doctrinam, uno eodemque modo explicant omnes: nam ex ipsa eorum consensione, ita ab Apostolis secundum catholicam fidem traditum esse nitide eminet ».

Nec solum Patrum doctrina, quatenus monumentum princeps traditionis simulque criterium est fontis revelationis in traditione exsistentis, prae oculis habenda est, sed etiam cum, deficiente requisito Patrum consensu, tale criterium non constituit: « Eorumdem vero Patrum sententia tunc etiam magni aestimanda est, cum hisce de

---

12 *Ench. Bibl.* 15.
13 *Ench. Bibl.* 39.
14 *Ench. Bibl.* 42.

rebus munere doctorum quasi privatim funguntur; quippe quos non modo scientia revelatae doctrinae et multarum notitia rerum, ad apostolicos libros cognoscendos utilium, valde commendet, verum Deus ipse, viros sanctimonia vitae et veritatis studio insignes, amplioribus luminis sui praesidiis adiuverit. Quare interpres suum esse noverit, eorum et vestigia reverenter persequi et laboribus frui intelligenti delectu »[15].

Quae omnia Leo XIII proponens, nihil aliud facit quam doctrinam in Ecclesia traditionalem tueri et complere. Exemplo sit s. V. Leo I, qui in *Epistola 82, ad Marcianum Augustum* asserit, contra denuo moventes « indisciplinatas et impias quaestiones », non licere « aliter de Scripturis divinis sapere, quam beati Apostoli et Patres nostri didicerunt atque docuerunt »[16]. Exemplo etiam s. IX Concilium Meldense in *Canone* 34: « In exponendis etiam vel praedicandis divinis Scripturis, sanctorum catholicorum et probatissimorum Patrum sensum quisque sequatur, in quorum scriptis, ut beatus dicit Hieronymus, fidei veritas non vacillet »[17].

Novis, moderno aevo, opinionibus periculose exortis, s. XVI Concilium provinciale Florentinum illarum assertores *Cap.* 6 his verbis damnat: « Item ordinavit nullum posse ulterius Scripturam Sanctam scribendo aut praedicando aliter exponere aut interpretari, quam sancti Ecclesiae Doctores hucusque interpretati sunt »[18]. Nec multo post, Concilium senonense haec habet: « Qui ... spretis ortodoxum Patrum vestigiis, proprii spiritus iudicium sequitur, is veluti schismaticus et haereseon omnium incentor et fautor a tanta temeritate reprimatur »[19].

Hoc igitur pacto via patebat Patribus Concilii Tri-

---

15 *Ench. Bibl.* 96; cf. et *AAS* 35 (1943), p. 312.
16 *Ench. Bibl.* 18.
17 *Ench. Bibl.* 25.
18 *Ench. Bibl.* 35.
19 *Ench. Bibl.* 39.

DENTINI ad conficiendum *Decretum de editione et usu Sacrorum librorum,* ex quo haec desumimus: « Praeterea ad cöercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo, sua prudentia innixus, in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat » [20].

Hoc *Tridentinum Decretum,* quoad substantiam contentum in *Professione fidei Tridentina* PII IV [21], renovat postea CONCILIUM VATICANUM illudque authentice interpretatur, cum « a quibusdam hominibus prave exponeretur ». En eius conclusio: « Ideo nemini licere contra hunc sensum (quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia), aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari » [22].

Haec sufficiat Ecclesiae documenta proposuisse de momento traditionis catholicae in re biblica, prout apud Patres, testes prae primis et transmissores huius traditionis, elucet. Per haec autem documenta via paratur longioribus ac perspicuis LEONIS XIII declarationibus, quae denique in definitivis verbis VATICANI et TRIDENTINI fundata proponuntur [23], quaeque, et verbis saepe et spiritu, in posterioribus Ecclesiae documentis asservantur. Quod ut verum appareat, sufficit sequentia innuere.

Multa quidem adsunt *Responsa* PONT. COMM. DE RE BIBLICA, quibus momentum traditionis catholicae in re biblica diversimode effertur. In his enim sermo saepe est de « Ecclesiae constanti traditione », de « constanti, universali ac solemni Ecclesiae traditione ... et SS. Patrum,

---

20 *Ench. Bibl.* 47.
21 *Ench. Bibl.* 58.
22 *Ench. Bibl.* 63.
23 *Ench. Bibl.* 93.

scriptorum ecclesiasticorum ... testimoniis et allusionibus », de « communi SS. Patrum sententia concorditer asserentium », de « unanimi fere Sanctorum Patrum sententia ac traditionali sensu, quem ... semper tenuit Eclesia », de « consensu ... Patrum et Doctorum Ecclesiae », de « testimonio et unanime Patrum consensu », de « suffragio traditionis », de « luculento traditionis suffragio ... mire consentienti ... dissertis Sanctorum Patrum et Scriptorum ecclesiasticorum testimoniis, citationibus, et allusionibus in eorum scriptis occurrentibus », de « testimoniis traditionis », de « perspicuo et firmissimo traditionis testimonio », de « ecclesiastica traditione, Sanctorum Patrum orientalium et occidentalium testimonio consona » [24].

Post haec breviter recensita, iuvabit duplex proponere documentum Ecclesiae, quorum primum diversa traditionis monumenta simul tradit, alterum vero simul perpendit vim et momentum huius traditionis cum critica textus, et consequenter cum argumento mere interno, comparatae. In quodam enim *Responso* Pont. Comm. de re Biblica *de auctore ... epistolae ad Hebraeos* sermo est de « perpetua, unanimi et constanti orientalium Patrum affirmatione cui post saeculum IV totius occidentalis Ecclesiae plenus accessit consensus, Summorum pontificum sacrorumque Conciliorum, Tridentini praesertim, actis, de perpetuo Ecclesiae universalis usu » [25]; in altero vero, id est, in *Motu proprio* « Sacrorum Antistitum » Pii X, ut reprobanda proponitur « ea Scripturae Sanctae diiudicandae atque interpretandae ratio, quae Ecclesiae traditione, analogia fidei, et Apostolicae Sedis normis posthabitis, *rationalistarum* commentis inhaeret, et criticem textus velut unicam supremamque regulam haud minus licenter quam temere, amplectitur » [26].

---

[24] *Ench. Bibl.* 174; 180; 288; 333; 343; 347; 402; 408; 411; 415; 419; 425; 426; 428.

[25] *Ench. Bibl.* 429.

[26] *Ench. Bibl.* 350.

Quibus omnibus attente consideratis, clare et indubie habetur quid formula « traditio catholica », velit, quemque locum haec traditio, his vel illis monumentis constans, teneat cum uno argumento interno adhibito comparata. Hoc saepissime intendunt *Responsa* PONT. COMM. DE RE BIBLICA antea proposita, quae, ut praecedentia ecclesiastica documenta, summo in honore habent traditionem catholicam tam quoad rem introductoriam, quam quoad rem exegeticam.

Hanc quidem prae oculis habens, PIUS XII in *Encyclica* « Divino afflante Spiritu » hortatur exegetas catholicos ut « memores de verbo divinitus inspirato heic agi, cuius custodia et interpretatio ab ipso Deo Ecclesiae commissa est, non minus diligenter rationem habeant explanationum et declarationum magisterii Ecclesiae, itemque explicationis a Sanctis Patribus datae, atque etiam analogiae fidei ». Complensque doctrinam de sensu *litterali*, concludit : « Qua in re praestanda catholicus exegeta egregie iuvari poterit sollerti illorum operum studio, quibus Sancti Patres, Ecclesiae Doctores, illustresque superiorum temporum interpretes Sacras Litteras explanarunt ». Proposito denique eorum providentiali in Ecclesia munere et dolens propter hodie saepe neglectos « huiusmodi christianae antiquitatis thesauros », hanc exprimit spem : « Sic enim tandem aliquando fiet et veterum doctrinae spiritualisque dicendi suavitatis, et recentiorum maioris eruditionis adulteriorisque artis felix coniunctio, novos utique fructus allatura in Divinarum Litterarum campo, nunquam satis exculto, nunquam exhausto » [27].

---

[27] *AAS* 35 (1943), p. 410; 412-413.

C) *Ecclesiae Magisterium*

Inter Ecclesiae documenta hucusque allata, multa exstant quae momentum et traditionis catholicae et Ecclesiae magisterii simul commendant; ideo, his nunc praetermissis, alia nova exponenda putavimus quae ad supradictam *Declarationem* magis directe accedunt. Primum, aliqua praemittenda.

In hac *Declaratione* sermo est de « normis Magisterii ecclesiastici », quibus significatur non modo magisterium Ecclesiae extraordinarium sive per solemnes definitiones sive per decreta Sacrarum Congregationum, imprimis Commissionis Biblicae, sed etiam magisterium ordinarium per explicationes traditionales. Huc etiam veniunt verba ultimo allata tum ex *Motu proprio* « Sacrorum Antistitum » Pii X, tum ex *Encyclica* « Divino afflante Spiritu » Pii XII, quae vel de « Apostolicae Sedis normis », vel de « explanationibus et declarationibus magisterii Ecclesiae » agunt.

Nunc vero, hac in re nequeunt silentio praetermitti sollicita verba, quibus in *Encyclica* « Humani generis » Pius XII problema ecclesiastici Magisterii iterum atque iterum tangit. Aliis omissis, de quibus alias explicite egimus [28], sufficiat illud Pii XII testimonium adducere, quo omnes hic propositae quaestiones breviter tanguntur. Agens enim de illis catholicis exegetis qui ideas « in detrimentum divinae auctoritatis Sacrae Scripturae » hinc inde spargunt, ait: « In Sacra Scriptura interpretanda nullam haberi volunt rationem analogiae fidei ac *traditionis* Ecclesiae, ita ut Sanctorum Patrum et sacri Magisterii doctrina quasi ad trutinam Sacrae Scripturae, ratione mere humana ab exegetis explicatae, sit revocanda, potius quam eadem Sacra Scriptura sit ad mentem Ecclesiae, quae a Christo Domino totius depositi

28 Cf. *Gregorianum* 31 (1950), p. 540-561.

veritatis divinitus revelatae custos ac interpres constituta est » [29].

Cum ergo catholicus exegeta, nisi « sacri magisterii moderatione se subducere contendat », nequeat *mentem Ecclesiae* in re biblica ignorare, non modo eius solemnes definitiones, sed etiam alias declarationes, aliasque eius normas prae oculis habere debet. Inter has autem declarationes, illae nunc considerandae veniunt quae exstant in *Responso* Pont. Comm. de re Biblica de *auctoribus et de tempore compositionis Psalmorum* [30]. Pauca de illo.

Exstant quidem tituli multis Psalmis appositi, ex quibus non pauci Davidem auctorem supponunt. Quinimo, nonnulli in specie psalmi « in Veteri et in Novo Testamento diserte sub Davidis nomine citantur ». Huc accedit multiplex argumentum externum, et sacrum et profanum, quod Davidem ut auctorem non paucorum psalmorum commendat. Ex alia parte, hoc ipsum multiplex argumentum externum epochae ante exsilium favet quoad plurimorum Psalmorum compositionem. Denique, tum ex testimonio biblico et patristico, tum ex testimonio iudaico « plures sunt agnoscendi psalmi prophetici et messianici ». Haec sufficiant ex documento magisterii ecclesiastici de quaestione generale circa Psalmos, ut ad aliquas ad rem pertinentes conclusiones denique possimus pervenire.

Conclusio

Post editum abhinc paucis annis commentarium quoddam catholicum de Psalmis, nonnulla in illo notavimus circa epocham compositionis, unitatem, auctorem, messianitatem, elementa extrabiblica aliquorum psalmorum, quae minime probanda videbantur. Haec, credo,

---

[29] *AAS* 42 (1950), p. 569.

[30] *Ench. Bibl.* 340-347.

eodem iure de supramemorato commentario Psalmorum dici possent; ideo lectorem mitto ad ea quae occasione primi commentarii sunt scripta [31].

Quibus dictis, vellem tamen hoc in genere animadvertere. Suppositis Ecclesiae documentis, toto saeculorum decursu in eumdem semper sensum prolatis, videant singuli quid a catholico dicendum sit de commentario Psalmorum, quod Patres, scholam exegeticam catholicam, testimonia biblica et traditionis, ipsa denique documenta Ecclesiae non modo silet, sed et negligere videtur ut si haec omnia nihil ponderis haberent comparata cum argumentis mere internis, elementis extrabiblicis, hypothesibus philologicis, archaeologicis, historicis ...

Methodus quidem mere humana vel profana, quae, introducta ab acatholicis criticis, nunc magis in dies desseritur in ipso campo acatholico atque in iisdem exegeticis collectionibus quae olim hanc methodum induxerunt et omni medio stabiliendam curarunt. Nec mira haec talis methodi derelictio, quae et Sacram Scripturam faciebat profanam, et ad novas saepe et inter se oppositas conclusiones deveniebat, tum circa exegesim in genere, tum circa illas quaestiones in exegesi Psalmorum notas. Dolendum quod catholici moderni exegetae, immemores coniungendi vetera et nova, saepe viam terant ab ipsis quidem acatholicis vel numquam tritam, vel, si a nonnullis aliquando, partim saepe, plane nonnunquam iam derelictam.

Felix Asensio S. I.

---

31 Cf. *Gregorianum* 33 (1952), p. 219-260; 566-611.

MONUMENTA

1 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*AAS.* XXXXV [30 nov. 1953] p. 720)

ALLOCUTIONES

I

Sacerdotibus qui Romae Conventui de aptiore Catecheseos institutione adfuerunt, atque iuvenibus, qui de christiana doctrina certamine « Veritas » nuncupatum, vicerunt, a Consilio nationali Italico pro Catechesi indictum *.

Il primo nostro paterno saluto è per voi, diletti figli, sacerdoti periti di attività catechistiche. Voi, rispondendo con prontezza e con zelo all'invito del Centro Nazionale, vi siete adunati in Roma per studiare i problemi del catechismo: per accertare i bisogni che urgono in questo campo, per ben considerare le forze di cui si può disporre, e in genere per discutere su ciò che potrebbe e dovrebbe essere fatto da sacerdoti e da laici. Sappiamo che domani, tornando alle vostre diocesi, vi metterete al servizio dei Vescovi e dello stesso Centro Nazionale, e andrete ovunque sarà necessario il vostro aiuto e l'opera vostra per organizzare l'insegnamento catechistico in tutta l'Italia.

Ci è anche noto che intendete di rivolgere particolari cure a quelle zone che risulteranno meno provviste e per-

* Habita die 30 Septembris mensis a. 1953.

ciò spiritualmente più depresse. Se saprete superare, nell'obbedienza ai vostri Pastori, con spirito di cattolica carità, i confini delle diocesi; se saprete correre ovunque vi è bisogno di voi, Noi ve ne saremo gratissimi e vi esprimiamo fin d'ora il Nostro vivo compiacimento.

Siccome, poi, desiderate da Noi non un complesso di ammaestramenti — il che sarebbe impossibile in questa occasione —, ma soltanto una parola di consiglio ,eccovela nella sua pur semplice brevità.

Nell'insegnamento del catechismo si ha naturalmente premura che gli alunni apprendano bene quel che si viene loro spiegando; ciò è talmente indispensabile che, se mancasse, non si potrebbe parlare in alcun senso di vera scuola catechistica. Ma forse non altrettanta cura si pone nell'aiutare la mente degli alunni a emettere l'atto di fede; mentre è chiaro che a nulla gioverebbe saper bene, se poi non si credesse fermamente quanto Dio ha rivelato e quanto la S. Chiesa propone a credere. D'altra parte — e su questo richiamiamo particolarmente la vostra attenzione — voi catechisti non avreste conseguito il vostro scopo, se non vi studiaste di portare i vostri alunni alla pratica di ciò che hanno appreso, di ciò che hanno creduto.

Se dunque dovessimo lasciarvi un breve motto per i vostri alunni grandi e piccoli, diremmo così: che essi sappiano bene, credano fermamente, pratichino integralmente.

Con questi sentimenti e coi rinnovati sensi del Nostro paterno compiacimento per quel che fate e farete, vi impartiamo di gran cuore la Nostra Apostolica Benedizione.

Fra tante gare di velocità, di forza, di resistenza, nessuna — per dir così — ha dovuto rallegrare il Cuore di Gesù come la vostra, diletti figli, vincitori del concorso « Veritas » 1953.

Eravate duecento mila studenti italiani, e già questo numero così confortante rivela lo sviluppo della provvida

istituzione, che Noi abbiamo già incoraggiata, ed ora torniamo a benedire con tutta l'effusione dell'animo Nostro. Tanto più che il valore delle cifre mostrateCi dai suoi organizzatori indica chiaramente un crescendo sempre più intenso di interesse e di partecipazione al Concorso « Veritas ». In un solo anno, per esempio, si è avuto un aumento di quaranta mila concorrenti, e alcune particolari mete già ragiunte fanno intravedere come possibile un avvio risoluto verso la quasi totale partecipazione degli alunni: a Ivrea, per esempio, su 2942 alunni delle scuole secondarie hanno preso parte al Concorso 2368, e inoltre tutti gli alunni del triennio superiore. A Firenze è quasi raddoppiato il numero delle classi partecipanti, mentre a Gaeta tutte le scuole medie della diocesi si sono presentate agli esami per la gara.

Abbiamo citato tre esempi scelti quasi a caso, poichè sarebbe pressochè impossibile di descrivere anche soltanto sommariamente il lavoro fatto e i risultati ottenuti nelle diocesi dove tale azione si è svolta con tenace e perseverante zelo. Di tutto questo diamo lode al Centro Nazionale di Attività Catechistiche, esortando tutti i Nostri diletti figli, i Sacerdoti che ne fanno parte, a moltiplicare, se fosse possibile, le industrie che potranno condurre allo scopo.

Quando apprendemmo che voi, carissimi giovani, volevate vedere il Papa e per questo avevate espresso il desiderio che fosse scelta Roma come sede del vostro convegno, Noi Ci affrettammo a disporre affinchè l'Udienza avvenisse nel miglior modo possibile. Perciò abbiamo voluto vedervi qui a parte, per stare più a Nostro agio con voi e parlarvi più liberamente. Forse non immaginate nemmeno, diletti figli e figlie, con quanta gioia vi diamo il Nostro paterno affettuoso benvenuto, e come siamo felici che l'aura di una così promettente e prorompente primavera abbia invaso oggi la Casa del Padre comune dei fedeli.

Vorremmo avere tempo e possibilità d'intrattenerCi con ognuno di voi; vorremmo, non diciamo proprio cingervi la fronte di alloro, ma almeno appuntarvi una medaglia sul petto, perchè a voi, ai vostri genitori, ai vostri insegnanti, ai vostri compagni tutti, fosse segno di quanto è soddisfatto il Vicario di Cristo, e come quindi è contento lo stesso Gesù. Egli vi benedica, come Noi vi benediciamo, per lo sforzo silenzioso e costante che vi ha sostenuti nella gara e vi ha condotti alla vittoria.

Oggi — ne siamo sicuri — voi siete già in possesso di quella cultura religiosa, che è possibile alla vostra età e nel grado dei vostri studi. Avete dunque la certezza assoluta dell'esistenza di Dio, il Quale può parlare agli uomini e farsi intendere da loro. Con l'aiuto dei vostri insegnanti, e anche più con la vostra personale fatica, voi vi siete resi certi non solo dell'autenticità, ma anche del valore storico dei Libri sacri. E siccome vi siete convinti che in questi testi autentici e storici viene presentato un vero Uomo, che parla da Dio, agisce da Dio, vive da Dio, muore da Dio, e risorge come solo Dio può risorgere, cioè per virtù propria, voi avete potuto — anzi avete dovuto — emettere con piena coscienza e con serena gioia il vostro atto di fede esplicito e solenne.

Ma questo vostro fermo e giocondo credere Noi vorremmo che rimanesse in voi tale anche quando sarete nel pieno vigore della gioventù; quando la navicella della vostra anima potrebbe correre pericoli che forse oggi nemmeno immaginate.

Diletti figli e figlie!

Agli inizi di questo mese, rivolgendoCi agli Assistenti Ecclesiastici Diocesani di Azione Cattolica, Noi abbiamo raccomandato di preparare alla Chiesa un esercito di giovani eroi, pronti a qualsiasi ardimento. Volete anche voi essere coraggiose avanguardie di questo pacifico esercito? Volete corrispondere pienamente a ciò che la Chiesa aspetta dalla sua gioventù studiosa?

Dopo il felice successo nel Concorso « Veritas », vi attende un'altra vittoria: quella sopra un mondo senza Cristo, senza Dio. Ma non si combatte e non si vince una tale battaglia spirituale, se non con una fede viva, integra, coerente. *Haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra*[1]. Essa potrebbe però vacillare per scarsa solidità di fondamenti, potrebbe frantumarsi contro gli scogli del dubio, potrebbe essere addirittura sommersa nel fango della passione. Se dunque volete corrispondere a ciò che la Chiesa aspetta da voi, dovete prepararvi a sostenere la vostra fede e a difenderla con ogni mezzo.

1. Nessuno pretenderà da voi, per estensione e per profondità, la cultura propria di chi frequenta un regolare corso di teologia; voi dovete, però, ugualmente rifuggire da certi piccoli manuali assolutamente insufficienti per gli uomini di cultura e vi guarderete da una superficialità che crea facili illusioni, e dà poi le immancabili delusioni a chi si contenta, per esempio, di sole formule mnemoniche.

Non vi è dubbio — e Noi cogliamo volentieri l'occasione per insistervi — che la gioventù studiosa cattolica debba eccellere in ogni ramo della cultura: lo esige il dovere e lo vuole la Chiesa, che, oggi come sempre, deve difendere la civiltà cristiana ed umana dagli attacchi di uno spesso ben mascherato materialismo. Ma è altrettanto certo che lo sviluppo sempre crescente delle vostre cognizioni storiche, letterarie, scientifiche senza il necessario adeguato approfondimento della religione potrebbe essere sommamente pericoloso alle vostre anime. Ecco perchè, carissimi giovani, vi scongiuriamo di continuare nello studio, con l'impegno e la costanza che vi ha portati quest'anno alla vittoria nel Concorso « Veritas ». Non stimatevi soddisfatti fino a quando non sarete penetrati — il più possibile — nell'intimo senso della verità religiosa,

---

[1] *I Io.* 5, 4.

e fino a quando la verità stessa non sia penetrata profondamente in voi: nella vostra intelligenza, nella vostra fantasia, nel vostro cuore, in tutto il vostro essere.

2. Questo studio assiduo, attento e profondo, oltre che assicurare la solidità dei fondamenti della vostra fede, vi farà evitare o superare gli scogli del dubbio: altro pericolo cui va incontro l'anima dei giovani.

Non si vuol parlare, qui, del dubbio che potremmo chiamare « dinamico » ed è fecondo, costruttivo; del dubbio, cioè, che « nasce a piè del vero » ed è stimolo a nuovo studio e a nuove conquiste. Ci riferiamo, invece, al dubbio « statico », che quasi sempre affonda le sue radici nell'ignoranza, o quanto meno nella scarsa ed imperfetta conoscenza. Bisognerà quindi provvedere a risolvere ogni volta e radicalmente tutte le difficoltà che si presentassero e mettessero in pericolo le vostre certezze, forse faticosamente acquisite. A ottener ciò dovete servirvi dei vostri insegnanti, di libri di dottrina profonda e obiettiva, dei vostri stessi compagni, che fossero di voi più preparati e più pronti, senza dimenticare che l'animata e ben diretta discussione può essere anch'essa un ottimo mezzo per chiarire, a sè e agli altri, le idee.

Nè vi prenda il timore che questo vostro anelito di chiarificazione, questo vostro spirito di ricerca possa urtare — come qualcuno erroneamente pensa — contro lo scoglio di una qualsiasi contraria verità scientifica. La vera scienza non può mai essere contro la fede, perchè mai una verità non può essere in contrasto reale con altra verità, essendo uno stesso, il vero Dio, autore di ogni verità.

3. Aggiungiamo un'ultima parola, diletti figli e figlie, e vorremmo dirvela più col cuore che con le labbra. Troppe volte a provocare il naufragio della fede nei giovani non è la poca solidità della cultura religiosa, nè sono gli scogli del dubbio razionale, ma piuttosto il fango di una passione, che oggi fa strage — forse più di ieri —, perchè

il demonio e i figli del demonio hanno moltiplicato a dismisura le insidie alla vostra virtù.

E' la catena del vizio impuro, che costringe tanti giovani nel buio di un misterioso carcere dalle pareti dorate, e impedisce loro di vedere la luce; è il fango del malcostume, che intorbida il cuore dei giovani e fa cadere sull'occhio del loro spirito le cateratte del vizio. E quando le anime son divenute quasi cieche, è necessario un forte torrente di luce della grazia per diradare le loro tenebre e ridestarle dal loro torpore.

Ascoltate, diletti figli e figlie, la voce accorata del vostro Padre: guardate in alto come si conviene ad esseri umani; anzi spingete lo sguardo più in sù, oltre le stelle, come devono fare i figli di Dio. Lassù nel cielo è la vostra Patria; là sta aspettandovi Dio vostro Padre con la sua corona, con la sua gloria, con la sua gioia.

DiteCi, carissimi giovani, che per conservarvi puri, non esiterete di fronte a qualunque martirio: nè al martirio del sangue, nè a quello incruento, silenzioso, cui assistono gil angeli e Dio. Chiedete a Maria Madre purissima, la forza di conservarvi immacolati in mezzo a tante brutture, in mezzo a tanto fango.

Vi conforti la certezza che non siete soli a lottare e a vincere. Nel lamentato spettacolo di tenebre e di morte è già abbastanza visibile una scena di luce e di vita. Se infatti vi guarderete bene intorno, scoprirete una vera moltitudine di giovinezze impegnate nello stesso combattimento e protese alla stessa vittoria: fiori profumati e pieni d'incanto nella loro nascosta bellezza.

Non importa se, prediletti da Dio, rimarranno eternamente fiori nella consacrazione di tutta la vita, o se, dopo una gioventù immacolata, fruttificheranno in un focolare benedetto dal Signore.

Certo questo fiorire di purezza non è facile trovarlo fuori del giardino della Chiesa, e così voi, carissimi giovani, oltre che procurarvi un presidio alla vostra fede,

sarete un'altra prova che l'umanità di oggi, se vuole salvarsi dal naufragio, deve guardare alla Chiesa come ad unica e valida timoniera.

II

Iis qui interfuerunt Conventui XXVI a Sodalitate Italica de Urologia indicto *.

(*AAS.* XXXXV [13 nov. 1953] p. 673)

Nous vous saluons, Messieurs, vous qui, à l'occasion de votre Congrès d'Urologie, avez voulu Nous donner le plaisir de votre visite.

Vous représentez une spécialité de la médecine et vous vous efforcez de faire reconnaître à ce domaine particulier de la science et de l'art médical la place qui lui revient, aussi bien dans les études medicales que dans l'équipement des grandes cliniques. Nous souhaitons à vos projets le succès que mérite en fait l'objet tellement important de votre science. Il s'agit pour vous de secourir l'infirmité humaine et de sauvegarder, en les conservant à leur profession, la capacité de travail d'hommes qui ont encore une lourde tâche à accomplir.

Vous Nous avez demandé d'expliquer deux questions. La première d'entr'elles concerne votre pratique médicale; la seconde, votre activité d'experts: « periti, peritiores, peritissimi », dans les procès matrimoniaux.

I

La première question, vous Nous l'avez posée sous la forme d'un cas particulier, typique cependant de la catégorie à laquelle il appartient, c'est-à-dire l'amputation d'un organe sain pour supprimer le mal qui affecte un autre organe, ou du moins pour arrêter son développe-

* Habita die 8 Octobris mensis a. 1953.

ment ultérieur avec les souffrances et les dangers qu'il entraîne. Vous vous demandez si cela est permis.

En ce qui concerne votre diagnostic et votre pronostic, il ne Nous appartient pas d'en traiter. Nous répondons à votre question, en supposant que tous les deux sont exacts.

Trois choses conditionnent la licéité morale d'une intervention chirurgicale qui comporte une mutilation anatomique ou fonctionnelle : d'abord que le maintien ou le fonctionnement d'un organe particulier dans l'ensemble de l'organisme provoque en celui-ci un dommage sérieux ou constitue une menace; ensuite que ce dommage ne puisse être évité, ou du moins notablement diminué que par la mutilation en question et que l'efficacité de celle-ci soit bien assurée; finalement, qu'on puisse raisonnablement escompter que l'effet négatif, c'est-à-dire la mutilation et ses conséquences, sera compensé par l'effet positif : suppression du danger pour l'organisme entier, adoucissement des douleurs etc.

Le point décisif ici n'est pas que l'organe amputé ou rendu incapable de fonctionner soit malade lui-même; mais que son maintien ou son fonctionnement entraîne directement ou indirectement pour tout le corps une menace sérieuse. Il est très possible que, par son fonctionnement normal, un organe sain exerce sur un organe malade une action nocive de nature à aggraver le mal et ses répercussions sur tout le corps. Il peut se faire aussi que l'ablation d'un organe sain et l'arrêt de son fonctionnement normal enlève au mal, au cancer par exemple, son terrain de croissance ou, en tout cas, altère essentiellement ses conditions d'existence. Si l'on ne dispose d'aucun autre moyen, l'intervention chirurgicale sur l'organe sain est permise dans les deux cas.

La conclusion, que Nous venons de tirer, se déduit du droit de disposition que l'homme a reçu du Créateur à l'égard de son propre corps, d'accord avec le principe

de totalité, qui vaut ici aussi, et en vertu duquel chaque organe particulier est subordonné à l'ensemble du corps et doit se soumettre à lui en cas de conflit. Par conséquent, celui qui a reçu l'usage de tout l'organisme a le droit de sacrifier un organe particulier, si son maintien ou son fonctionnement cause au tout un tort notable, qu'il est impossible d'éviter autrement.

Puisque vous assurez que, dans le cas proposé, seule l'ablation des glandes séminales permet de combattre le mal, cette ablation ne soulève aucune objection du point de vue moral.

Nous nous voyons cependant amenés à attirer l'attention sur une fausse application du principe expliqué ci-dessus.

Il n'est pas rare, lorsque des complications gynécologiques entraînent une intervention chirurgicale, ou même indépendamment de celle-ci, qu'on extirpe les oviductes sains ou bien qu'on les rende incapables de fonctionner pour prévenir une nouvelle grossesse et les dangers graves qui pourraient peut-être en résulter pour la santé ou même la vie de la mère, dangers dont la cause relève d'autres organes malades, comme les reins, le coeur, les poumons, mais qui s'aggravent en cas de grossesse. Pour justifier l'ablation des oviductes on allègue le principe cité tantôt, et l'on dit qu'il est moralement permis d'intervenir sur des organes sains, quand le bien du tout l'exige.

Ici cependant on en appelle à tort à ce principe. Car en ce cas, le péril que court la mère ne provient pas, directement ou indirectement, de la présence ou du fonctionnement normal des oviductes ni de leur influence sur les organes malades, reins, poumons, coeur. Le danger n'apparaît que si l'activité sexuelle libre entraîne une grossesse qui pourrait menacer les organes susdits trop faibles ou malades. Les conditions qui permettraient de disposer d'une partie en faveur du tout en vertu du principe de totalité font défaut. Il n'est donc pas permis moralement d'intervenir sur les oviductes sains.

II

La deuxième question que vous Nous proposiez concerne, comme Nous l'avons dèjà dit, votre activité comme experts dans les procès matrimoniaux.

Le principe décisif se déduit de la nature et de la finalité de cette activité. Que, d'après cela, l'expert dise donc ce que ses connaissances médicales lui imposent de dire et qu'il le dise avec les nuances et les distinctions exigées par son savoir. Les conclusions qui découlent de l'expertise médicale pour la sentence *judiciaire* ne sont pas de la compétence du « peritus » ou « peritissimus ».

Le serment, qu'il a prêté, oblige donc le médecin-expert à proposer en son âme et conscience au tribunal ce qu'il a trouvé et à donner son avis à ce sujet : qu'il présente les faits médicaux comme des faits, leur interprétation médicale comme une interprétation, les conclusions médicales telles quelles, les avis médicaux comme des avis. Ce dernier terme désigne les déclarations du client u médecin, par lesquelles celui-ci grâce à sa compétence obtient peut-être des éclaircissements, auxquels le client lui-même probablement n'a pas pensé du tout, et que le profane, et même le juge dépourvu de formation médicale, n'aperçoivent pas. L'expert doit donner son avis de telle sorte que les nuances indiquées soient clarement perceptibles.

Mais vous mentionnez des détails concrets et voulez être renseignés à ce propos. Nous en prenons le point central que vous désignez par ces mots : « il nous arrive d'émettre des avis dans les procès d'annulation de mariage pour « impotentia generandi ».

Pour répondre exactement à cette question, il peut être utile avant tout de dissiper les malentendus autour du concept d'« impotentia ou potentia generandi ». « Potentia generandi » revêt parfoit un sens si large, qu'il

comprend tout ce que doivent posséder les deux partenaires pour procréer une nouvelle vie : les organes internes et externes, ainsi que l'aptitude aux fonctions qui répondent à leur finalité. L'expression est prise aussi en un sens plus étroit et ne comprend alors que ce qui est exigé en marge de l'activité personnelle des époux, pour que cette activité puisse réellement engendrer la vie sinon dans tous les cas, au moins par elle-même et d'une façon générale. En ce sens, la « potentia generandi » s'oppose à la « potentia coëundi ».

Les conditions requises pour la « potentia coëundi » sont déterminées par la nature et se déduisent du mécanisme de l'acte. En cela l'action des conjoints, au point de vue biologique, est au service de la matière séminale qu'elle transmet et reçoit. A quoi peut-on voir que la « potentia coëundi » existe réellement et que par conséquent l'acte des époux comporte tous ses éléments essentiels? Un critère pratique bien qu'il ne vaille pas sans exception dans tous les cas, en est la capacité d'accomplir de façon normale l'acte externe. Il est vrai qu'un élément peut manquer sans que les partenaires s'en rendent compte. Cependant ce « signum manifestativum » doit suffire en pratique dans la vie, car celle-ci demande que, pour une institution aussi ample que le mariage, les hommes possèdent, dans les cas normaux, un moyen sûr et facilement reconnaissable de constater leur aptitude à se marier; cela suffit parce que la nature a coutume de bâtir l'organisme humain de telle sorte que la réalité interne réponde à la forme et à la structure externe.

En outre la « potentia coëundi » comporte de la part de l'époux la capacité de transmettre de façon naturelle le liquide des glandes séminales; il n'est pas question de chacun des éléments spécifiques et complémentaires constituants de ce liquide. Le manque de sperme actif n'est pas d'habitude une preuve que l'époux ne peut exercer

la fonction de transmission. Aussi l'azoospermie, l'oligospermie, l'asthenospermie, la nécrospermie n'ont rien à faire en soi avec l'« impotentia coëundi », parce qu'elles concernent les éléments constitutifs du liquide séminal lui-même, et non la faculté de le transmettre.

En tout cela, il faut maintenir que cette action des époux est et reste au service d'une finalité : l'éveil d'une nouvelle vie. Il est erroné d'affirmer que la médecine et la biologie auraient un autre concept de la « potentia coëundi » que la théologie et le droit canon, et que ce dernier vise par cette expression autre chose que ce qu'ont déterminé la nature et le Créateur. Vous n'avez qu'à lire le texte du canon 1068 sur la « puissance » physique pour voir qu'il veut parler non du droit positif, mais du droit naturel.

Certainement le bon sens des hommes et la pratique de l'Eglise ne laissent aucun doute sur le fait que des valeurs personnelles sont engagées dans le mariage et sa consommation; valeurs qui dépassent de loin le biologique et que les époux souvent comprennent beaucoup mieux que les fins immédiatement biologiques de la nature. Mais la raison et la révélation suggèrent aussi et donnent à entendre que la nature introduit cet élément personnel et supra-biologique parce qu'elle appelle au mariage non des êtres sensitifs privés de raison, mais des hommes doués d'intelligence, de coeur et de dignité personnelle, et que elle les charge de procréer et d'éduquer une vie nouvelle; parce que, dans le mariage, les époux se consacrent à une tâche permanente et à une communauté de vie indissoluble.

